



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

12 Agno Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

Summus Pontifex, Christi in terris Vicarius, primo sui pontificatus anno, & quolibet deinceps septennio, consecrare solet solēni benedictione orbiculos quosdā cereos, quos à figura impressa vocant Agnos Dei, adhibito sacro Chrismate, multisque insignibus ceremoniis. Multa autem precatur à Deo concedi illis, qui animo deuoto hos orbiculos consecratos penes se habent, aut iis vtuntur terra marive, Cuius oratio tanto maioris esse momenti debet, quanto eius officium est in Ecclesia sublimius, Christoq. cōuenientius. Vnde non rarò mirabiles effectus non sine miraculo diuino sequuntur, maximè vbi quis eximia fide & deuotione præditus, summi Sacerdotis benedictionem & Dei promissionē, qua oranti Ecclesie auxiliū addixit, intueretur. Que autem in consecratione petuntur, sunt ista:

Primò quidem in genere, vt ab omni malo liberemur, omniq. bono fruamur. Deinde verò nominatim mala recēsentur, à quibus nos rogat liberari: nimirū, ab omni tēpestate maris & terræ, à fulmine, grandine, noxiis ventis, pluuia, terræmotu, tonitru, peste, morbo commitali, morte improvisa, igne, insidiis inimicorum, malorumque spirituum, denique ab omnibus aliis periculis. Additur etiam, vt parturientibus mulieribus Deus adesse dignetur, & quauis in tentatione Dæmonis, Christi fidelibus animum viresque addere, quibus in-

trepidè

INSTITVTIONVM LIB. IIII. 343
trepidè hostes repellant ac superēt. Quia igitur experientia frequentissimè docet, ista sæpe à Deo concedi, non sunt temerè reicièdi, sed magna deuotione gestadi orbiculi isti, & aliis commendandi.

CAPVT XIII.

DE AGNO DEI, CARMEN

Andrea Frusij, Societatis Iesu.

QUID sibi vult Agni, quæ circūfertur imago
Cerea, mirificis nobilitata modis?

Haud temerè: neque enim blaterare, aut credere fas est,

Catholicis quicquam fraudis inesse sacris.

Verùm quæ species cultus? quæ causâ? quis actor?

Quæ ratio talem dat vel origo locum?

Res quia cera, parum, nimis aut obscura videtur,

Plerique hanc animo frigidiore colunt.

Diuine propè dant alij virtutis honorem,

His quæ superstitio forte suborta nocet.

Idolum vocat hæreticus, ridet quæ fidelem:

Hic tacet ignarus, frons quæ plicata rubet.

Non bene tanta latent fidei munimina sanctæ,

Iam celebri quæ rei iura sepulta silent.

Iuste ego cum tales versarem pectore curas,

Catholica his dictis visa monere fides:

Non noua, sed nostris sæpe auribus acta querela est,

Nec de hoc duntaxat munere turba fremit.

Ecquis enim meritum retinet iam ritus honorem?

Quis nitet intacta religione locus?

Christi etiam sanctum blasphemata calumnia corpus